



**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Diluuntur obiectiones aliæ aduersus nostram sente[n]tiam de concursu  
Dei generali. disput. 8.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

vnam integrum causam coalescentem ex pluribus non integris comparatione effectus, ita ut neque Deus per solum concursum vniuersalem sine causis secundis, neque causa secunda sine concurso vniuersali Dei sufficient ad producendum effectum. esse tamen causas partiales prædicto modo, nō quidem partialitate effectus, quasi aliquid sit in effectu, quod sit ab una causa, & non ab aliis: sed partialitate causa, quia effectus à neutra caru est, nisi simul altera influente tamquam parte integræ omnino causa talis effectus. Addidimus vero, si sermo sit de integra seu tota causa, non omnino, sed in aliquo gradu causa: tunc Deum per concursum generali esse integrum causam in gradu causæ maximè vniuersalis, eo quod nulla alia cum ea concurrat in eo gradu causa, & similiter varias causas secundas esse integras eiusdem effectus in suo gradu & ordine. Hanc, inquam, doctrinam agri fert hic autor, contendens, neque Deus, neque eiusmodi causas secundas esse prædicto modo partiales causas, sed vnamquaque solùm esse dicendam totalem, & idem alibi vult de intellectu, & specie intelligibili concurrentibus ad intellectiōnem, de intellectu & lumine gloriæ concurrentibus ad visionem beatificam, de gratia præueniente, & libero arbitrio concurrentibus ad actus fidei, spei, contritionis, aut caritatis, & de aliis similibus.

Attende tamen, prudens lector, inter causas concurrentes ad eundem effectum, quasdam esse, quae eodem omnino influxu influunt in effectu: vt sunt ignis, forma substantialis ipsius, & calor in eo resistentis, comparatione calefactionis, qua ab eis emanat: homo, anima, & intellectus comparatione intellectiōnis: ignis, ferrum candens, & calor in ferro candente, comparatione calefactionis, quæ à ferro candente emanat: artifex & penicillum comparatione picturæ: & ferè instrumenta omnia artificis comparatione artefacti, quando in instrumento non est vis particularis ad agendum, sed solū aptitudo, vt eo artifex agat, suoque influxu per instrumentum induat effectum artis. Alias vero esse causas concurrentes ad eundem numero effectum, quæ non eodem influxu influunt, sed vnamquaque earum suum proprium, & peculiarem ad eum effectum necessarium adhibet: vt sunt Deus concursum generali, & causa secunda ad quemcumque effectum causa secunda proprium: intellectus & species intelligentibiles ad intellectiōnem: intellectus & lumen gloriae ad visionem beatificam: liberum arbitrium & gratia præueniens ad actus fidei, spei, contritionis, & alias caritatis, & sunt alias similes causa. In his autem, licet concedendum sit, vnamquaque in suo ordine & gradu esse causam totalem, negari tamen non potest esse partiale, partialiter, & non toto influxu ad effectum necessariò influens, si de integræ omnino causa sit sermo. Malè autem verissimum hic modus loquendi, atque ex ipsam rerum, & causarum natura desumptus: ac ductus aliquibus sapit: quoniam argumenta apertissimè dissolut, quibus sibi tales præfinitiones ad actus supernaturales & naturales liberi arbitrij persuadent, quæ arbitrij libertatem de medio tollunt: & quibus tales sensus compositos & diuisos configunt, vt nostram libertatem rem faciant de solo titulo, & denique, quoniam veritas in multis difficultissimis quæstiōibus, in quibus ipsi contrarium sibi persuadent, è tenebris eruit, miraque luce perfundit. Videant, num concedere audeant, vel Deum non concurrens concursum generali, ad materiale peccati, vel esse totam causam illius, eo quod tamquam causa vniuersalis ad

A illud concurrat, nisi cum hoc addito, in genere & gradu vniuersalissima cause? Non rectè etiam concederent causam secundam esse totam omnino causam eius effectus, qui ab ipsa emanat: solùm namque est concedendum, esse totam causam in gradu causæ particularis, quando ab illa sola emanat talis effectus tamquam à causa particulari. Hæc dixisse hoc loco sufficiat, neque expectetur, vt inutiliter hæc ipsa repetantur: vt enim hoc usque ea tamquam verissima supponimus, sic etiam in sequentibus vbi cumque se obtulerit occasio ea supponemus.

### DISPUTATIO VIII.

B Diuinitur obiectiones aliae aduersus nostram sententiam de concurso

Dei generali.

Argumentum primum.

Non defuerunt, qui aduersus sententiam disputationis sexta explicat, atque præcedente disputatione defensam, in hunc modum argumentarentur. Si concursum generali Dei cum igne ad calefaciendum aquam, nō esset influxus Dei in ignem, quo ad Deo applicetur, ac potens redderetur ad calefaciendum aquam, sed effluxus Dei cum igne in aquam, tunc licet Deo concursum suum vniuersalem denegante, ignis caleficere non posset aquam, posset nihilominus mittere in illam suum influxum, & conatum, qui sine influxu Dei satis non esset ad calefaciendum. Quernadmodum, inquit, si adperiendum ostium, propter ostij resistentiam, necessarius sit conatus, & influxus duorum, vtique si vnu tantum ostium impellat, & si solus aperire nequeat, immittit tamen influxum, & conatum suum in illud. Neque enim si agens aliquod sine alterius opere nequit efficere aliquid, sequitur, vt neque influxum & conatum in passum immitiat, vt in lucta est manifestum: qui enim alteri reluctatur, à quo superari, & deici non potest, in se tamen ipso experitur influxum, & conatum sui aduersarij. Simili ergo modo, licet ignis sine influxu Dei in aquam caleficere eam non posset, posset nihilominus influxum suum, & conatum in eandem immittere, qui tamen non sufficeret sine influxu Dei ad calorem producendum: afferre autem ignem sine concurso generali Dei posse ex se quidquam immittere, periculosum in fide est: cum sine concurso generali Dei nihil omnino possit.

Ad hoc argumentum negandum est, facta ea hypothesis, ignem posse mittere in aquam suum influxum & conatum: neque enim video quid aliud sit influxus ignis in aquam, quam calefactio vt ab igne, neque item video, præter vim ipsam naturalem ignis ad calefaciendum, eu calorem ignis, qui inclinatio quedam ac momentum naturale est, vt si cetera ad finit conditions requirantur ad agendum, calefactat, quid aliud sit conatus ignis in aquam, quam calefactio ipsa: quare si calefactio, qua ignis aquam calefactat, esse nequit sine cooperatione & concurso vniuersali Dei in aquam, neque influxus ignis, neque conatus ignis ad calefaciendum esse poterit sine eodem Dei concurso. Qui vero illo modo argumentantur, velle videtur influxum, & conatum ignis ad calefaciendum aquam distinctum quid esse à calefactione, calefactione inquit effectum esse illius, dum modo influxus, & conatus ignis superent resistentiam aquæ, vt ab exēpli & probationibus, qua subiungunt, videtur etiam colligi. Ridiculum autem videtur afferere, si res calida ex eo frigidam caleficere non possit, quia vincere nequeat frigoris resistentiam, aliquem nihilominus influxum & conatum

M.  
E.

Causarum  
subordinata-  
rum, quedā  
eodem pro-  
fus influxu,  
alia diverso  
agunt: & he-  
proprietate  
parti-  
ales dici  
possunt.

conatum in rem frigidam imprimere: aut quando res calida calefacit frigidam, vincitque resistentiam illius, prius natura in illam imprimere influxum & conatum, ex quo ulterius, propter maiorem vim talis conatus & influxus, quam sit resistentia frigoris, sequatur calefactio, ut velle videntur propoliti argumenti autores: Esto autem id gratis admitteremus, argumentum sane nullam vim haberet aduersus nos: tunc enim conatus, atque influxus ille præius est actio ignis in aquam distincta à calefactione, quæ sequitur, ea vero actio esse aliquando posset sine calefactione: cum autem ad unquamque actionem & effectum peculiaris requiratur cursus vniuersalis Dei, utique tunc sicut calefactio, qua post talem influxum, & conatum sequeretur, indigeret peculiari concursu Dei ut esset: ita præius ille influxus, & conatus ignis in aquam egeret alio concursu generali Dei, ut ab igne in aquam imprimetur. Ad probationes, & exempla, quæ adducunt dicendum est, longè diuersam esse rationem, tam in lucta, quam in impulsione ostii. Etenim ibi plurimæ interuenient distinctæ actiones, quarum qualibet, vt sit, indigeret suo distincto concurso Dei vniuersali cum ea causa secunda, à qua proxime emat. Prater actum enim voluntatis, quo quis vult aperire ostium, similis est actus sentientis appetitus, quo idem appetit, atque imperatur motus membrorum & applicatio virtutis motu, interueniente motu spirituum vitalium seu animalium, nerorum, musculorum, &c. & tandem sequitur applicatio & compresio membrorum ab interna vi hominis ad ostium, quæ omnes actiones ita peculiares, distincto que concursum Dei vniuersales requirunt, ut licet Deus concurrenit ad præcedentes actiones, si modo concursum suum ad sequentem deneget, nulla ratione sequatur. Porro ex compressione membrorum ad ostium & impulsione illius, producitur in ostium vis, arque impressio in partem, versus quam est aperiendum, illi similis, qua lapis proiectus, post egressionem à manu, ferrur sursum: producitur vero vis, atque impressio maior vel minor, prout major, vel minor fuerit vis impellens: vis vero illa ostio impressa qualitas est, cuius productio, licet ortum habuerit ex locali motu, & compressione membrorum, alteratio tamen est idem re cum qualitate produceta, ad eamque productionem, tamquam ad actionem distinctam à præcedentibus, necessarius est aliis concursum vniuersalis Dei. Quod si eiusmodi qualitas ac impressio superet resistentiam, quæ impediabat, ne ostium aperiret, resultat motus localis ostii ab illa vi, tamquam ab instrumento, efficienter productus, ad quæ motum constat necessarium esse alium distinctum concursum vniuersalem Dei, quem si non impenderet, utique vis illa ostio impressa non efficeret apertione. Simile quid cernitur in lucta, aut cum lapis superimponitur manu: a grauitate enim lapidis producitur impulsio deorsum, ac vis in manu, qua mediante, si manus resistentiam superet, deorum à lapide mouetur, motu distincto ab ipsa impressione. Licet autem ad motum localem, maximè violentum, præcedat necessaria ostiis vis, & impulsio per præiuam actionem: adalterationes tamen, qua per quaeratu primas qualitates sunt, nulla præiuia actio requiritur, qua alteraciones ipsas, hoc est, calefactiones, frigefactiones, &c. tempore vel natura antecedunt: sed eo ipso, quod maior est actiuitas rei agentis, quam patientis resistentia, emanant eiusmodi alteraciones ab agente in patientem, atque sine ullo prævio influxu, conatu, aut actione in eo recipiuntur.

Molina in D. Thom.

A In hunc etiam modum argumentantur. Principium est in philosophia, casus secundas & quodcumque creatum agens perfectius esse cum est in actu secundo, hoc est, in operatione, quam cum est in solo actu primo, hoc est, in sola virtute & potentia ad operandum: ergo quando actu agit & operatur, acquirit rem aliquam seu perfectionem, per quam perficitur: haec autem, in igne calefaciente aquam, esse nequit calefactio ipsa: sed quod actio non sit in agente, sed recipiatur in paciente, & agere non sit recipere in se perfectionem, sed potius effundere perfectionem suam, eamque communicare possit: neque esse potest aliud, quam influxus diuinus, quo mouetur, vigorēmque accipit, ut possit calefacere: ergo concuritus Dei generalis cum igne ad calefaciendam aquam est influxus Dei in ignem, quo potens redditur secundum se, ut calefaciat, quae natura antecedat calefactionem.

B Ad hoc argumentum dicendum est, principium illud, neque prolatum esse à philosophis, neque intelligi de quocumque agente, sed solum de agentibus per actionem immanentem, quorum comparatione tam principium operandi, quam operatio ipsa sunt actus: hoc est, forma in ipsis agentibus reperta: is vero actus, qui alterum antecedunt, appellatur actus primus, id est, forma prior agentis, à qua actuatur & informatur: is vero, qui sequitur, appellatur actus secundus, id est, forma posterior: inter ipsaque principia operationum, anima est actus primus comparatione intellectus, & intellectus est actus primus comparatione speciei intelligibilis, qua informatur, ut intelligat, & species ipsa est actus primus comparatione intellectus, quæ, cum sit operatio immanens, est actus, & forma posterior ipsius intellectus, & idcirco appellatur actus secundus illius. In agentibus vero actione transeunte inauditum est inter Philosophos, operationem seu actionem illorum appellari actum ipsis secundum. Quia ergo operatio immanens perfectio propria est agentis, per quam actuatur, informatur, ac perficitur, atque vniuersaque eiusmodi agentium, saltem quoad principium, & potentiam, qua eiusmodi operationem exercet, est in potentia passiva, ut sit perfectum sua ea operatione, merito à philosophis de eiusmodi agentibus dicitur, perfectiora ea esse, dum sunt in actu secundo, quia in dum sunt solum in actu primo. Agentia vero actione transeunte, licet, ut habetur i. de celo cap. 3. sunt proper naturæ suas operationes: quia tamen non ideo sunt, ut per eas perficiantur, sed potius, ut res alias perficiant, & ad varios hominum usus inferuant, non dicuntur à Philosophis esse perfectiora in scipsis, dum operantur, quam sint ante operationem, neque ipsis operatione appellatur actus corundem secundus. Ridiculum quippe est arbitrii, Philosophos assertisse agentia perfectiora esse dum sunt in actu secundo, quam dum sunt in actu primo, propter vigorem & influxum, quem à Deo tunc ad operandum recipiunt, de quo vigore & influxu Dei illis neque in mentem quidem vniquam venit, & non potius propter operationem ipsam, quæ perfectio est agentium per actionem immanentem. Adde, agentia sub eo influxu, quem aduersarij intendunt, esse adhuc in actu primo comparatione operationis, operationemque ipsam in agentibus actione immanente esse actu secundum, sub quo sunt perfectiora, quam sint sub sola potentia, & eo influxu: quod sit, ut si propositio illa ad agentia transeunte actione esset extendenda, id verum esse deberet ratione operationis, ad quam ordinantur tamquam ad fi-

Secundum argumentum.

Solutio.  
Operatio  
immanens  
est, quæ dici-  
tur actus se-  
cundus: non  
ita actio tradi-  
iens.

E F

Q 2 nem;

universitätsbibliothek paderborn

nem, & non ratione illius influxus, per quem sunt adhuc in actu primo, & qui proprie non dicitur actus secundus comparatione potentiae, qui per illum applicatur: id verò neque aduersari intendunt, neque iure dicere possunt.

Possumus etiam argumentari primò, quoniam, ut auctores contra nos opinionis concedunt, mortis, atq[ue] vigor ille quippe creatum est, atque principium calefaciendi proximum vnam cum virtute propria ignis influens calefactionem & calorem in aquam: ergo est causa secunda, & non prima, ac proinde indiget novo concursu generali: neque enim efficere valet Deus causam secundam, siue naturalem, siue supernaturalem, siue proximam, siue remotam, quæ sine concursu generali Dei producere possit actionem aliquam, vel effectum, quoniam id contradictionem implicat.

Secundò, quoniam coniunctum ex virtute innata a propria ignis, arque ex illo motu, & vigore immisso à Deo in ignem, vis quedam est ad operandum finita, certa, ac determinata, quandoquidem est quippe creatum: quid ergo impedit quia minus Deus tantum, aut maioriè vix ad operandum ita tribuat alicui agenti, ut eidem innata sit a propria? Poterit ergo tale agens naturale, sine concursu generali Dei cooperante, suum producere effectum, si concursus generalis Dei sit influxus in agens, & non potius vna cum agente in patiens, ea ratione quia nihil omnino esse possit, quod, ut ad sui conseruationem, ita ut primò fiat, non pendaat à Deo conferente illi immediate esse vna cum causis secundis.

Tertiò, si concursus Dei generalis cum igne ad calefaciendam aquam esset vigor immisus à Deo in ignem, vtique vigor ille, postquam semel esset immisus, & perseveraret in igne, non minus esset agens naturale necessitate nature agens, quā calor ipse ignis, arque ad eum sine novo concurso generali Dei, ut calefacit aquam, ita calefaceret quamcumque aliam rem, quæ simul adnoveretur, vnde consequeretur, Deum non posse subtrahere ab igne, aut à quocumque alio agente naturali suum concursum generale ad agendum in vnam rem, quin illum subtraheret ad agendum in omnes alias: quod tam non videtur concedendum. Ignis quippe Babylonicus per subtractionem concursus generalis non comburebat tres pueros, & tamen exurebat ligna & ministros regis. Christus etiam per subtractionem concursus generalis, ne ludei eum videarent, abscondit se, & exiit de templo: cū tamen Iudei tunc alia viderent. Oculi præterea discipulorum tendentium in Emmaus, per subtractionem concursus generalis, ne quo ad aliquā talem de Christo elicerent visionem, quā ad illum agnoscendū erat necessaria, tenebantur ne eum cognoscerent: tamen & alia viderent, & Christum ipsum, non tamen ita ut illum agnoscerent.

### D I S P U T A T I O I X.

#### De concursu generali Dei cum libero arbitrio ad opera eidem naturalia.

**V**II de concursu generali Dei cum libero arbitrio crebro peculiariter differamus, ex iis, quæ haec tenus de eodem concursu cum causis secundis in genere diximus, in primis illud intelligetur. Quod sicut concursus Dei generalis causa agere per actionem transeuntem, ut cum igne producere calorem in aquam, non est influxus Dei in ignem, sed in aquam, in quam recipitur effectus à Deo, & ab igne

A simul productus: ita concursus generalis Dei cum causa operante per actionem immanentem, ut cum intellectu ad intellectu, & voluntate ad appetitionem, non est influxus Dei in causam, ea ratione, quia agens est, quasi eo prius mota & excitata agat, sed cum causa ea ratione qua agens est, in ipsammet, ea cum causa ea ratione qua patiens est, atque in se suscipit effectum ab eadem causa, atque à Deo partiali influxu variisque simul productum.

In quo latissimum est discriben inter concursum generalem Dei cum causis secundis ad actiones earum naturales, & auxilium particulare, gratiam preuenientem, qua Deus liberum arbitrium ad opera supernaturale credendi, sperandi, diligendi, ac preueniendi, ut ad salutem oporet, uechit & coadiuat, quod pauci animaduertunt. Etenim auxilium particulare, quod preueniens gratia nuncupatur, motio quædam est, qua liberum arbitrium excitat, & preuenit, potensque redditur, ut ita adiutorium libero suo influxu cooperetur vterius ciuilius supernaturales actus, quibus proxime, aut remotè ad gratiam gratum facientem disponatur. Quare motio quædam est in causam, ut eam mediante in se habeat, vnde liberè exercere vterius possit, si velit, ciuili modi opera, qualia ad salutem sunt necessaria, ut in Concordia nostra latè explicatur.

Ex eisdem præterea intelligetur, falsam esse opinionem Antonij Cordubensis lib. 1. quæstionum Theologicarum, q. 55. dubio 4. & 10. assertentis, concursum Dei vniuersalem non solum esse influxum in causas ipsas agentes, quo mota & applicata ad agendum operentur, sed etiam esse influxum efficacem & sufficiem, ut eo solo Deus sine concursu causarum secundarum efficeret illos eisdem effectus. Sententiam verò oppositam, quæ asserit, Deum quidem concurrere immediatè cum causis secundis ad eum effectus, ut non concursu sufficienti, ut sine concursu causarum secundarum producantur ipsi effectus, erroris damnat. At sane, si Antonius Cordubensis erroris argueret eum, qui affirmaret, ea ratione Deum concurrere cum causis secundis in efficaci influxu ad eum effectus, quod in Deo non esset potentia, ut solus efficaciori alio influxu, si vellet, illos eisdem produceret, quasi sine causis secundis producere non valeret effectus, neque aliter efficere res, constitueréque hoc vniuersum, quām te ipsa fecerit, non repugnare. Hic enim fuisse videtur error Petri Abailardi, & fortè quorundam aliorum, ut disp. 1. retulimus. At longe aliud videtur velle, nempe concursum vniuersalem, quod Deus cum causis secundis re ipsa concurrit, efficacem, non quidem, ut sine causis secundis sint actiones causarum secundarum: quoniam implicat causas secundas aliquid efficere, & eas in illud idem non influere (in quo rectè dicit) sed esse efficacem, tum ad producendos sine causis secundis illo codem influxu eisdem effectus, quos mediabitibus causis secundis producit: tum etiam ut mouendo eo influxu causas secundas eas efficere secum faciat eisdem effectus. Quare erroris damnare videtur, quæ nos de concursu generali Dei satis dilucidè haec tenus ostendimus. Cū tamen pro se neque testimonium, neque rationem adducat: si qua autem adduci poterant, ea nos disp. 5. dissoluimus, cū Aliacis & Gabrieли errorē impugnauimus.

Facto sententiam Antonij Cordubensis quorundam esse Nominalium, & camdem redocere, aut potius affirmare Scotum, iuxta ea quæ disputatione ex ipsius sententia referemus. At plane ea est, que multis erroribus ansam præbuit, dum Aliacus &

L. 1. ass. crimen inter generalem Dei, particula rem, con cursum.

Antonij Cordubensis opinio.

*Nulla causa secunda etiam super naturalis potest effectum edere sine generali Dei concursu.*

*Concursus*

*Dei genera*

*lis non est in*

*fluxus inca*

*sam ut mo*

*agat, sed est*

*immediatus*

*in effectum.*

Dan. 3.

I Cor. 8.

Zac. 24.

Quæ assertio in hac materia multissimas erroris causam praebuerit.

Gabriel